

tivitatis beati Joannis Baptistae proxime venturum, ipso fratre Henrico, pro se et suis fratribus consentiente et acceptante dictum terminum, ad hunc finem, et in Claustro praedicto. Demum adveniente praedicto termino, scilicet octavo die festi Sancti Joannis Baptistae, idem Frater Henricus non comparuit, nec aliquis ex fratribus suis, immo nec misit aliquem nuntium simplicem, saltem ad aliquam excusationem allegandam; nobis ipsum ex tunc quatuor diebus immediate sequentibus, ob reverentiam sui Ordinis, exspectantibus, ipso Joanne Archidiacono comparente semper, et eiusdem Fratris Henrici et suorum fratrum contumaciam fortius accusante, petenteque, se nomine eiusdem Capituli mitti in possessionem decimationis supradictae, iuxta formam oblatis libelli. Quare non valentes ulterius in offensam iuris et praepjudicium dicti Capituli, saepedicti Fratris Henrici et suorum fratrum contumaciam manifestam sustinere, utpote, qui ad peremptoriam responsionem sponte assumptam, sicut superius exprimitur, non curarunt comparere, vel saltem aliquem accusatorem mittere, eundem dominum Joannem Archidiaconum procuratorem saepedicti Capituli et nomine eiusdem in possessionem omnium percipiendorum reddituum sive proventuum decimalium in provinciola Methlike, de Sihestain, de Sihembergh, et de Grachan, cum suis pertinentiis, tanquam infra limites Zagrabiensis Ecclesiae dioecesis existentium, iuxta tenorem petitionis eiusdem Archidiaconi superius contentae: de consilio peritorum et proborum, tunc nobis assidentium, causa rei servandae, auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa, induximus et inducimus in his scriptis. Per hoc tamen nolimus ipsi Fratri Henrico, suis fratribus et suo ordini, aliquod praepjudicium generari, quin possint, si voluerint, recuperare possessionem omnium praemissorum, in quantum a iure permissum reperitur. Actum in Claustro Sanctae Mariae supradicto, die quinto post octavas beati Joannis Baptistae anno praenotato. In praemissorum autem omnium testimonium nostrum Sigillum praesentibus duximus appendendum.

E Codice MSC. Joannis Archidiaconi de Guerche.

LXXXVI.

Anno 1344. 11. Novembris. Zagrabiae.

Nicolaus, totius Slavoniae Banus, jus et lucrum Camerae Banalis, omnibus Regni Nobilibus in unum congregatis consentientibus, Jacobo, Civi Graecensi, 300 marcis denariorum novae monetae banalis locat.

Nos Nicolaus, Banus totius Slavoniae, memoriae commendamus tenore praesentium — — quibus expedit universis: quod nos consideratis — — de-